





11180.

2. F. F. 2. S. 1715 1072.  
15

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,  
DOMINO

FRIDERICO AVGVSTO,  
DE  
CENSU ROMANORVM  
PRIMO

RECENTIORES QVASDAM  
CONTROVERSIAS,  
PRAESIDE

IO. GVIL. IANO,  
HIST. P. P.  
H. L. Q. C.

PVBlice EXCVTIENDAS PROPONIT  
AVTOR

M. DAVID HOFFMANN,  
VRATISLAVIENSIS  
DISP. PRIOR

D. XXVI. APRIL. A. R. S. CIOIÖCCXV.

VITEMBERGAE, FORMIS SAMVELIS KREVSIGIL.

983. 1110. 1115  
10. Gottl. K.  
vitemb.



TRIBUNO AVGVSTO  
CENSV ROMANORVM  
PRIMO  
REGNITORES QVADAM  
CONTRORSIAS  
IO. GWILLIAMO  
M. DAVID HOFFMANN





DE  
CENSU ROMANORVM  
PRIMO

*PRAEFATIO.*



T nulla post hominum memoriam gens, rerum gestarum gloria, imperiique magnitudine ac diuturnitate, Romanam adaequavit: ita nec ulla facile illustriora reipublicae prudenter administrandae exempla posteritati reliquit. Quare operam, non modo ad recte intelligendos historiae Romanae scriptores necessariam, sed et per se utilem suscepisse videntur Panuinii, Pancirolli, Manutii, Sigonii, Hotomanni, Lipsii, Vossii, Ferrarii, Fabricii, Spanhemii, alique eruditissimi uiri, qui, duobus potissimum saeculis aetatem nostram antegressis, mores ac instituta illius diligentius

A 2 expo-

4  
exposuerunt. Quantacunque uero horum industria fuerit, fieri tamen, propter rerum copiam et uarietatem, uix potuit, quin in quibusdam offenderent, et nonnulla aut minus commode, aut saltem non sufficienter explicata, aliis penitus excutienda relinquerent. Nescio, an non iure huc referatur *primus Romanorum census*, argumentum primo ad spectu tritum satis, et per uulgatum, sed, si accuratius expendatur, tantis difficultatibus impeditum, ut ad hunc usque diem nondum satis de eo, etiam inter uiros doctissimos, conueniat. Etsi uero tantas dissensiones, cuiusmodi nuper admodum in Belgio, inter duos celeberrimos uiros, renatae sunt, componendi arbitrium mihi minime sumo: tamen nec uitio uerti posse confido, si in ardua hac materia uires experiar, doctioribusque amplius de ea cogitandi occasionem subministrarem.

I.

*Nomen  
Census.*

**C**ensus uocabulum, quod Graeci quidam scriptores, in primis sacri, per κῆνος expressum retinent, Glossae ueteres per ἐξέτασμον, ἀπογραφήν, ἀπογραφήν οὐσίας, ἀποτίμησιν, τιμητόν, interpretantur. Et diuersi quidem diuersimode usurpant, modo pro *opibus* singulorum in censum relatis, ut cum census senatorius, uel equestris nominatur, et Iuuenali Sat. XIV. u. 303.

- - - *Misera est magni custodia census:*

modo

modo pro tributo, ex opibus illis soluto, quo sensu uocem hanc, inprimis apud Matthaeum et Marcum adhiberi, ostendit If. Casaubonus Exercit. ad annales Baronii XVI. n. 6. Taceo alias significationes, ab instituto nostro alienas. Nobis enim census hoc loco nihil aliud est, quam aestimatio bonorum, publica autoritate quondam instituta, ut pro illius ratione, et ciues inter se distinguerentur, et munia, atque onera rei publicae inter eos legitime distribuerentur: etsi nec prima census explicatio, quae ultimae huius fundamentum est, prorsus excluditur. A censu uocabantur *censi*, de quibus Asconius in I Verrinam Ciceronis: *More ueterum, inquit, censi dicebantur, qui centum milia professione detulissent;* unde liquet, eos solum dictos fuisse censos, qui, prima classe comprehensi, maximum censum erant professi: quemadmodum etiam non omnes, qui in classibus a Seruio institutis erant, sed primae tantum classis homines, uocabantur *classici*: *infra classē autem, qui minore summa, quam quae maxima erat, censebantur, uti autor est Gellius L. VII. c. 13. et Festus u. infra classē.*

II.

Autor huius instituti apud Romanos fuit Seruius *Autor census* Tullius, VI illorum rex, de quo Linius I. 42: *Aggredi-sus Rom. tur pacis longe maximum opus, ut, quemadmodum Numa di-Seruius uini autor iuris fuisset, ita Seruium conditorem omnis in ci-Tullius uitate discriminis, ordinumque, quibus inter gradus digni-Græcos tatis, fortunaeque, aliquid interlucet, posterī fama ferrent. imitatus.* *Censum enim instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli, pacisque, munia, non uiritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum, fierent.* Fecit id haud dubie exemplo Graecorum, a quibus multa etiam alia, quae rem publicam tuentur, et ornant, ad Romanos transi-

isse, constat. Etenim iam olim Theseus, Athenien-  
 sium rex, ciuitatem in III. classes diuisit, et primus  
 discreuit *Ευπατρίδας, Γεωμώρους, & Δημιουργούς* patricios,  
 agricolas, et opifices. Patriciis curam sacrorum, et magistra-  
 tum, ex ordine suo dandorum permisit ius, legumque di-  
 sciplinam et interpretationem. Plutarchus in Theseo p. II.  
 Postea ordines illos, quos Graeci scriptores *ἰσχυρὰ* siue *ἰσχυρὸν*  
 uocant, pro habitu facultatum paulisper immutauit So-  
 lon, et primae classis fecit illos, quorum facultates aridorum  
 et liquidorum mensuras quingentas redderent, uocauitque  
 illos *πενταχοσιομέδωνος*: secundae classis eos, qui equum ale-  
 re, aut trecentas efficere ualerent, atque hos *ἑκπαδα ἰελοῦν-  
 τας*, equestrem ordinem nuncuparunt. Tertiae classis ii e-  
 rant, quibus erat utriusque generis simul *ἑκαχοσίων*, tre-  
 centarum, siue, ut Pollux L. VIII. c. 10. *δικοσίων*, ducen-  
 tarum, modus; iique *ζευγίας* dicti sunt: reliqui omnes ap-  
 pellati *στῆτες*, siue capite censi. His nullum magistratum per-  
 misit: ceterum in societatem reipublicae uenire passus est, ut  
 suffragium in concione, et calculum haberent in iudiciis.  
 Plutarchus in Solone p. 87. et 88. Quam geminum isti  
 fuerit Seruii Tullii consilium, lector ex his Liuii uer-  
 bis iudicet: *Classes, centuriasque, et hunc ordinem ex cen-  
 su descripsit, uel paci decorum, uel bello. Ex iis, qui cen-  
 tum millium aeris, aut maiorem censum haberent, LXXX.  
 confecit centurias, quadragenas seniorum ac iuniorum.  
 Prima classis omnes appellati. - - - Secunda classis in-  
 tra centum usque ad quinque et septuaginta millium  
 censum instituta. - - - Tertiae classis in quinquagim-  
 ta millium censum esse uoluit. - - - In quarta clas-  
 se census quinque et uiginti millium. Quinta classis un-  
 decim millibus censebatur. Hoc minor census reliquam  
 multitudinem habuit. Ut autem onera a pauperibus in*  
diuo



*ditiores inclinata* : ita horum quoque honores et iura maiora fuerunt. Non enim (ut a Romulo traditum ceteri seruaerant reges) uiritim suffragium eadem ui, eodemque iure promiscue omnibus datum est: sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio uideretur, et uis omnis penes primores ciuitatis esset. Adde Dionysium Halicarnass. L. IV. p. 221. edit. Sylburgianae.

## III.

III. Fundamentum igitur huius distinctionis ciuium *Mensura* apud Romanos, aequae ac Graecos, erant opes: quas  *census primi aes.* tamen apud hos prouentus annui, apud illos numeri metiebantur. Itaque apud hos classis prima erat *πεντακοσιομεδιμνος*, siue qui quingentos medimnos metebant: apud Romanos eorum, qui CM aeris censum habebant. *Qualis* autem, et *quanta* haec summa fuerit, hic in primis est inquirendum. *Qualis* fuerit primi Romanorum census mensura, ipsum aeris nomen indicare uidetur. Etsi enim hoc, florente republica Romana, saepe pro quacunque pecunia usurpatum fuisse, constat: nihil tamen impedit, quo minus h. l. aes proprie sic dictum intelligamus. Etenim argentum Romani demum A. V. C. CDLXXXV, C. *Ogulnio Gallo, et C. Fabio Pictore Coss.* hoc est a. ante aeram Christi CCLXIX, signare coeperunt, si Plinio H. N. XXXIII. 3. fidem habemus. Hos enim consules illi anno, autoritate regii codicis, adscribit Io. Harduinus ad h. l. quod tamen ille non primus, sed diu ante eum Cl. Chiffletius de Numism. antiquo cap. VII. p. 55. ex codice MS. Ioannis, fratris sui, Patinus in Familiis Romanis p. 107. aliique, annotarunt. Posterioris consulis, C. Fabii, nummum argenteum exhibet Patinus in gente Fabia l. d. eundemque in museo suo extare

extare, testatur Harduinus. Vt uterque eum haud obscure pro antiquissimo Romanorum nummo argenteo vendirat. Prior ita de eo scribit: *Denarius hic, sine dubio, ad C. Fabium, C. F. Pictorem, pertinet, qui cum C. Ogulnio Gallo consul fuit A. V. C. CCCCLXXXIV. quo quidem anno argenteo signato populus Romanus ex S. C. primura uti coepit. Ob quam rem in altera denarii parte inscriptionem adiectam esse, opinor EX A. PV. h. e. ex argento publico.* Non equidem nescio, multa contra hanc Plinii sententiam disputari a Cl. Chiffletio c. IIX. de numismate antiquo, aliisque, obiicientibus praecipue, *commercia, quae Romanis ante illa tempora cum exteris gentibus intercesserunt. Id enim fieri non posse, opinantur, nisi aureo argenteoque nummo, gentibus illis probato.* At isti minus apte ex suae aetatis moribus antiquitatis consuetudinem aestimant, cum constat, olim plerarumque gentium commercia simplici rerum permutatione facta fuisse, ut pridem obseruauit Aristoteles V. Moral. 8. et I. Polit. 6. ubi suo etiam tempore multos hunc morem retinere addit: *καθάπερ ἔτι πολλὰ ποιεῖ τῶν βαρβαρικῶν ἐθνῶν, καὶ τὰ Ἰηναῖα γῆν.* Ita apud Homerum Iliad. H. u. 472. sequi uina emunt Achiui

ἄλλοι μὲν χάλκῳ, ἄλλοι δ' ἄθωνι σιδήρῳ

ἄλλοι δὲ μινῶις, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόσσων.

ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.

*Alii aere, alii splendido ferro,*

*Alii pellibus, alii ipsis bobus,*

*Alii mancipiis.*

Quem locum respicit Plinius XXXIII. 1. *Quantum, inquit, feliciore aeuo, cum res ipsae permutabantur inter se, sicut et Troianis temporibus factitatum Homero crediti conuenit: ita enim, ut opinor, commercia uictus gratia inuenta.*

*inuenta. Alios coriis boum, alios ferro, captiuisque rebus  
emitasse, tradit. Apud eundem Homerum Odyss. A.  
u. 430. Eurycleam nutricem*

--- Λαέρτης πρῶτος κλεῖσσω εἶσιον.  
Πρωθήβην εἴ ἔβσαν ἐκκοσάβοια δ' ἔδωκεν.

--- *Laertes emit facultatibus suis*

*Impubem adhuc et XX. boum pretium dedit.*

Si recentiora exempla delideres, Tacitus de Germanis c. V. *simplicius*, inquit, *et antiquius permutatione mercium utuntur*; et Mela L. II. c. 1. *Sarmatas*, *populum Scythiae Europaeae, auri et argenti, maximarum pestium, ignaros, uice rerum commercia exercere*, scribit. Neque antiquos Romanos hanc permutationem prorsus ignorasse, Varro L. II. c. 1. de R. R. innuit, dum *multam suo etiam tempore ex uetere instituto bubus et ouibus dici, ostendit*. Et Plinius l. d. *Ex qua consuetudine, inquit, mulcta legum antiquarum pecore constat, etiam Romae*. Add. Gellius L. XI. c. 1. Sed fac etiam non sine argento auroque cum exteris gentibus commercia instituisse Romanos: num propterea id publica senatus autoritate, ante tempus a Plinio indicatum, signatum fuisse, necesse est? quid, si rude aurum uel argentum permutatum, aut, si omnino signatum fuerit, ex aliis Italiae, inprimis Latii, urbibus, quarum multas Romani eo tempore expugnarant, imo totas cum omnibus opibus in ciuitatem suam transtulerant, acceptum fuisse, dicamus? aut denique ab exteris et transmarinis? Huc spectat illud Festi, u. *Patres: solebant iam inde a Romulo nummis argenti signati ultramarini, uti, quod priuatae et publicae rationes docent*. Taceo nondum a Chiffletio probatum esse, quod Siculi antiquitus non nisi aureo argenteoque nummo in com-

B

mer-

merciis usi sint. Maioris momenti esse uidetur argumentum, quod Chiffletius ex nummo TI. MINVCII petit, quem iam A. CCCCXLVIII. consulem fuisse, ait. Exhibet illum Vrsinus in familiis Rom. p. 179. cui ipse palmam darem, si hunc ipsum Minucium consulem uerum nummi illius autorem fuisse, constaret. Sed cum gens Minucia quondam latissime patuerit, ut uel ex ipsa nummorum eius multitudine ac diuersitate patet: facile fieri potuit, ut et alius quispiam, iuniorque, monetæ præfectus, idem prænomen haberet. Arduum certe uidetur, ob tam lubricam rationem, tam antiquo et diligenti harum rerum scrutatori, eique Romano, fidem denegare, quem nummi huiusmodi antiquiores, si extitissent, latere non potuissent, cum præsertim et Linius consentiat, in cuius epitome L. XV. legimus: *uictis Tarentinis pax et libertas data est: (A. V. C. CCCCLXXXII.) --- Tunc primum populus Romanus argento uti coepit.* Sed quocunque tandem modo hæc omnia se habeant, id certe non euincunt, quod iam Seruii aetate, qua primus Romanorum census constitutus est, Romani nummis argenteis a se culis usi fuerint. Quod enim Charisius grammaticus ex Varrone refert, iam a Seruio Tullio huiusmodi monetam cusam fuisse, id non nisi obscuro famæ autore tradi, ipsa hæc Varronis uerba ostendunt: *nummum argenteum conflatum primum a Seruio Tullio dicunt.* Multo minus uero aureus nummus censum primum Romanorum metiri poterat, si uerum est, quod Plinius l. d. ait: *cum post annum LXII. percussum esse, quam, argenteum.*

## IV.

*Quod antiquius*

Ceterum ipsius aeris permutandi apud Romanos aliam

aliam ante, aliam post Seruii Tullii tempora rationem <sup>rude et ap-</sup>  
 fuisse, Plinius l. d. his uerbis docet: *Seruius rex primum pensum*  
*signauit aes. Antea rudi Romae usos, Timaeus tradit. Aes* <sup>fuit.</sup>  
 hoc rude olim solo pondere aestimabatur, eoque aut  
 manu tantum et sensu cuiusque iudicato, aut, quod  
 postea usitatum fuit, per libram explorato. Quod idem  
 Plinius l. d. ex nominibus antiquis solutionem signifi-  
 cantibus, et a pendendo deductis, probat: *Libralis,*  
 inquit, *appendebatur assis. Quare aeris grauis poena di-*  
*cta. Et adhuc expensa in rationibus dicuntur: item impen-*  
*dia et dependere. Quin et militum stipendiorum, h. e. sti-*  
*pis pondera, dispensatores, libripendes dicuntur: qua con-*  
*suetudine in his emtionibus, quae mancipii sunt, etiam nunc*  
*libra interponitur. Leg. Andr. Tiraquellus de utroque*  
*retractu §. 30. n. 17. p. 394. Tom. III. Operum Erf.*  
*1574. editorum. Idem confirmat Festus u. pendere poe-*  
*nas, indeque repetit phrasin hanc, quod aere graui (h.*  
*e. rudi) cum uterentur Romani, penso eo, non numerato,*  
*soluerent. Scilicet uoces antiquae remansere in usu, et-*  
*ti rebus progressu temporis immutatis. Et Varro*  
*sub finem L. IV. de L. L. uocem stipendii explicans,*  
*milites stipendarios ideo sic dictos, ait, quod eam stipem*  
*ueteres pendebant. Ab eo Ennium scribere: Poeni stipendia*  
*pendunt. Addit deinde: per trutinam solui solitum, ue-*  
*stigium etiam nunc manet in aede Saturni, quod ea etiam nunc,*  
*propter pensuram, trutinam habet positam.*

## V.

At in singulis, rerum saepe minimarum, emtio- <sup>Postea si-</sup>  
 nibus, et contractibus, pondus aeris libra explorare, <sup>gnatum et</sup>  
 molestum nimis et incommodum uidebatur. Ut igitur <sup>numera-</sup>  
 tur ponderandi labore, in summis praesertim mino- <sup>tum, au-</sup>  
 ribus, supersedere possent, metalla in certas partes dif- <sup>re inter</sup>  
 fecare, <sup>Graecos</sup>  
<sup>Phidone:</sup>

secare, et his imagines ac notas quasdam ponderis aut pretii, communem apud omnes fidem habituras, publica autoritate imprimere, hoc est, nummos cudere coeperunt. Autor huius rei, si non omnium primus, saltem praecipuus et celebratissimus, apud Graecos, fuit Phidon, rex Argiuorum in Aegina insula, de quo Strabo, L. VIII. p. 376. Ἐφορος δὲ ἐν Ἀργίῳ ἀργυρον πρῶτον κοπῆσαι, Φιδῶν, ὑπὸ Φεΐδωνος. *Ephorus in Aegina primo argentum a Phidone cufum fuisse, scribit.* Aelianus Hist. Var. L. XII. c. 10. de Aeginetis: πρῶτοι, inquit, νόμισμα ἐκόψασι, καὶ ἐξ αὐτῶν ἐκλήθη νόμισμα Αἰγινάϊον. *Primi numisma percusserunt, quod et ex ipsis nomen accepit;* et Pollux L. IX. c. 6. Φεΐδων πρῶτος, ὁ Ἀργεῖος, ἔγραψε νόμισμα. *Phidon primus Argaeus excudit numisma.* Leg. Virorum eruditorum annotationes ad haec loca. Quo tempore factum id fuerit, Chronicon marmoreum, circa annum Periodi Iulianae 4450, ante Christum natum 262, conscriptum, his uerbis docet: ἈΦΨ --- δων ὁ Ἀργεῖος δήμιος --- νευ --- ἐσκέυασε καὶ νόμισμα ἀργυρεῖν ἐν τῇ Ἀργίῳ ἐποίησεν ἐνδέκατος ἀΦ Ηρακλέως, ἔτη ΙΗΗΔΔΔΙ, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν --- 85 *Ex quo Phidon Argiuus --- et nummum argenteum in Aegina fecit (undecimus ab Hercule) anni DCXXXI, regnante Athenis Phericle, aera attica 688. h. e. (si cum Pe-  
tauo initium Cecropis a quo marmor Arundelianum annos aerae Atticae numerat, ponamus in anno Per. I. 313) circa annum Per. I. 3820, ante C. N. 894. Ex tam remota antiquitate adhuc superstitem Phidonis nummum seruat Museum regium Berolinense, si quidem Laur. Bergeri, illum in Thesauri Brand. Vol. I. p. 279. exhibentis, et Io. Carol. Schotti, V. C. illius antiquitatem singulari disquisitione inter Miscellanea faciet. Reg. Berol. P. I. n. 5. edita contra Ottonis Sperlingii obiectiones defendentis, rationes*

tiones admittimus. Sed fortasse non sine causa Illu-  
stris Spanhemius Diff. I. de Usu et praestantia nummifin.  
p. 20. edit. Londinens. eum tantum in memoriam Phi-  
donis cufum esse, suspicatur.

VI.

Quemcunque uero demum Graecorum nummo-  
rum inuentorem feceris, (nam de eo diuersas uete-  
rum sententias fuisse, ex Herodoti L. I. c. 94. Pollucis  
L. c. aliisque patet,) inter Romanos certe ut Plinius L.  
XXXIII. c. 3. pergit, *Seruius rex primus signauit aes.* Id  
saltem uerisimilius est, quam quod Athenaeus L. XV. p.  
692. ait: lanum, primum Latinorum regem, νόμισμα χαλ-  
κῶν περὶ τὸν χαρδάξιν, *nummum aeneum primum signasse*, con-  
sentiente Macrobio L. I. Saturnal. c. 7: aut Saturnium, ut  
Tertullianus Apologet. c. II. et Minucius Felix in Octa-  
nio p. 15. edit. Elmenhorst. alique tradunt. Quorum  
auctoritas inter iuniores quoque praeter ceteros Cl.  
Salmasium L. de Usuris c. 19, p. 575. in hanc opinionem  
adduxit, cuius tamen opinionis, post alios nouissime a V.  
C. Jac. Perizonio differt. de aere graui p. 23. et 62. confu-  
tatae, originem paulo post demonstrabimus. Non firmi-  
ore fundamento nituntur, qui, propter aliquam nominis  
conuenientiam, nummum a Numa inuentum putant, in-  
ducti fortasse auctoritate Suidae, qui tamen non cufos sed  
tantum distributos ab hoc rege nummos memorat:  
Verba eius ἡσσάξια, haec sunt: Νῦμας ὁ περὶ τὸς βασιλεὺς,  
μετὰ ρωμαίων ρωμαίων γεγονώς, ἀπὸ σιδήρος καὶ χαλκῆς πεποιημένα  
πρῶτος ἐχαρίσατο ρωμαίοις. τῶν περὶ αὐτῆς πάντων διὰ σιδηρῶν  
καὶ ὀστρακίων τὴν χρεῖαν πληρύνων, ἀπέργε νόμισμα ἐκ τῆς ἰδίας οὐ-  
μᾶτος νεμμῖα, ὡς Φησι τραγικῶς. *Numa primus, post Romu-  
lum, Romanorum rex factus, primus asses ex ferro et aere  
cufos Romanis distribuit, cum ante eum non nisi scortei et*

*inter Ro-  
manos Ser-  
uio Tullio.*

B 3

ostr-



ostracei ad necessarios usus adhibiti fuissent, eosque ex nomine suo uocauit nummos, ut refert Tranquillus. Sed nihil huiusmodi in antiquioribus et probatis historiae Romanae scriptoribusprehendimus. Ex parte etiam dissentit Eusebius, qui congiarium a Numa affibus ligneis et scorteis datum fuisse, scribit in Chronico p. 47. et in uersione Hieronymi p. 27. Suidae uero sententiam ex instituto confutant, et nummum non a Numa, sed potius a νόμο dictum fuisse, docent Ios. Scaliger in coniectaneis ad Varronem de L. L. p. 37. 74, et Willebordus Snellius de re nummaria p. 2. quod scilicet ἡ Φύσει, ἀλλὰ νόμος ἐστὶ, ut Aristoteles V Ethic. 8. inquit,

## VII.

Figurae antiquissimis Romanorum nummis aereis impressae.

Qualis noui illius nummi Romanorum aenei figura fuerit, haec proxime sequentia Plinii uerba docent: *signatum est nota pecudum, unde et pecunia appellata.* Idem confirmat Varro L. II. c. I. de R. R.: *acs antiquissimum, quod est constat, pecore est notatum.* Cuiusmodi sigillatim pecoris effigies aeri impressa fuerit, Plutarchus in Poplicola p. 103. docet: *Ἰῶν νομισμάτων τοῖς παλαιολαοῖς βῶν ἐπεχόμενον, ἢ πρόβατον, ἢ σὺν antiquissimis numismatibus aut bouem insculpservunt, aut ouem, aut suem.* Ceterum nota illa assis postea una cum pondere mutata est, ita, ut ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum nauis, aut raris conspiceretur, ut est apud Plinium L. XXXIII. 3. idque in memoriam primae classis, primo bello Punico a Romanis aedificatae, factum esse, suspicatur Io. Christophorus VVagenfeilius disert. de re monetaria Vet. Rom. p. 25. Communis alioquin ueterum sententia est, *ἐπὶ τῆμῃ Κρόνου πλάττω διαπεράσαντος εἰς Ἰταλίαν, in honorem Saturni, nauigio in Italiam aduecti, ut Plutarchus Quaest. Rom. p. 274. ait, hanc notam nummis fuisse impressam.* Noti sunt hac de re uersus Nafonis, Fast. I.

Multa



*Multa quidem didici, sed cur naualis in aere  
Altera signata est, altera forma biceps?*

et paulo post:

*At bona posteritas puppim formauit in aere,  
Hospitis aduentum testificata DEI.*

*Aes ita signatum fuisse, inquit Macrobius L. I. Saturnal. c. 7. hodieque intelligitur in aleae lusu, cum pueri denarios in sublime iactantes, capita aut nauim, lusu teste uetustatis, exclamant. Extant passim in museis huiusmodi nummi, ab Ez. Spanhemio, Laur. Begero, aliisque editi, qui fortasse locum fecerunt fabulae, paulo ante memoratae, qua Ianus aut Saturnus monetae Romanae inuentor fuisse perhibetur. Plerique certe eius sententiae autores nullum aliud nisi hoc unum argumentum urgent, sed in eo, ut Philosophi loquuntur, obiectum perperam pro causa efficiente amplectuntur. Ceterum facile concedimus, etiam post aes a Seruio signatum, cum aliquem aeris rudis usum, tum illum appendendi ritum aliquandiu remansisse. Constat enim stipendia medio saeculo IV. ab V. C. atque adeo diu post exactos reges, primum inuecta et distributa, (leg. L. IV. c. 59.) a pendendo nomen accepisse. Itaque, ut ad institutum redeamus, aes rude pariter ac signatum primi Romanorum Censuram mensuram extitisse, affirmamus.*

### VIII.

Difficilius est, quantus fuerit census ille, ad numeros aestimatus, definire, cum praesertim ipsi ueteres scriptores non satis in eo consentiant. Nam L. I. c. 43. classi primae CM. aeris, Plinius L. XXXIII. c. 3. CXX. assignat. Festus u. infra classem: *Infra classem, inquit, significantur, qui minore summa quam CXXM.*

*Primi cen-  
sus Rom.  
magnitu-*

*CXXM. aeris censu sunt.* Gellius L. VII. c. 13. denuo quinque alias libras addit, adeoque centum illum ad CXXV millia aeris extendit. Vtrum de diuersis temporibus loquantur, an alius rotundum, alius definitum numerum exprimat, an denique numeri in nonnullis corrupti sint, in medio relinquimus. Sequemur interea, ut iam supra coepimus, historiae Romanae principem T. Liniu[m], qui magnitudinem primi census per singulas classes, uerbis iam supra recitatis, ita exponit, ut primam classem dicat fuisse illorum, qui CM. aeris, secundam, qui intra C. usque ad LXXVM, tertiam, qui LM, quartam, qui XXVM, quintam, qui XIM aeris censum habuerunt. In locutionibus autem illis: CM. aeris, LXXVM. aeris, etc. subintelligendum esse uocabulum librae siue pondus, omnes consentiunt. Nam aes initio in partes librales, commodioris permutationis causa, diuisum fuisse, supra ex Plinio uidimus: et huiusmodi libra aeris, in XII. partes diuisa, uocabatur *As*. Varro L. IV. de L. L. *As erat librae pondus, deinde ab numero reliquum dictum, usque ad centussis.* Et Fannius u. 4<sup>r</sup>.

*Nunc solidae dicam quae sit diuisio librae,*

*Siue assis.*

Vnde CM. aeris et CM. assium cum alibi passim, tum in hoc ipso argumento pro iisdem sumi. animaduertas.

IX.

*assimata* Vt autem, quantae hae classis primae, pariter  
*expondere* ac reliquarum, opes fuerint, clarius perspiciatur, duo  
*librae Romanae.* potissimum cognoscenda sunt, primo *pondus*, secundo *pretium* ueteris librae Romanae. In *pondere* librae Romanae explorando utemur libra et marca, quam uocant, Colonien[s]i, ea scilicet, quae per totam fere

fere Germaniam in officinis monetariorum, aurifabrorum, et mercatorum recepta est, ex publico Ferdinandi I. Imperatoris, et Ordinum Imperii decreto, A. 1609. promulgato, quo sancitur: *Die weil alle Rheinische Gulden, so bissher gemüntzt, auf Cölnisch Gewicht geschlagen worden, so ist unser ernster wille, Meinung und Befehl, daß auch hinfübro alle Gulden auf dasselbige Gewicht gemüntzt werden, darnach sich ein ieder, der ein ander Gewicht hat, der wegen zu richten, und sein Rechnung darauf zu stellen.* Constat autem, et uulgo notum est, selenam illam Germanicam diuidi in 8. Vncias, 16. semivncias, (uulgo *lot*) 64. drachmas (uulgo *quintlein*.) Praeterea uero uncia Colonensis in 29. Anglos, et singuli Angli in 32. momenta, Germanis *est* dicta, distribuuntur. Leg. Renerus Budelius de monetis et renummaria L. I. c. 13. §. 9. p. 64. cui hac in re praeter ceteros fides habenda, quia rei monetariae in ipsa ditione Colonensi et Vestphalica praefectus fuit. Rationem huius ponderis Colonensis ad Norimbergensem, Argentoratensem, Parisiensem, Anglicum, Hispanicum, Venetum et Romanum, diligenter instituerunt Eduardus Bernardus, libro de mensuris et ponderibus antiquis p. 134. et nouissime Io. Casp. Eifenschmidt de ponderibus et mensuris, c. 1.

## X.

Ipsius uero librae Romanae ueteris, cuius cum *Hanc libram non-nulli eruere student ex granis frugum* nostra comparationem requirimus, inuestigandae, diuersas rationes inierunt. Alii ex certo granorum numero apud ueteres in libram computato, alii ex antiquis ponderibus et mensuris, alii ex nummis alii aliunde illam eruere studuerunt. Primum in-

## C

inue-

inuestigandi modum Rhemnius Fannius, libro de ponder. et mensuris u. 10. sequ. ita exponit:

*Semina sex alii siliquis latitantia curuis*

*Attribuunt scriplo: lentis ueraciter octo.*

*Aut totidem speltas numerant, tristesue lupinos.*

*Bis duo.*

et paulo post:

*Scripla tria drachmam faciunt: quo pondere doctis*

*Argenti facilis signatur nummus Athenis.*

Computum hunc ex Fannio, Prisciano, Volustio Maeciano, aliisque huiusmodi scriptoribus antiquis, quos, a Franc. Hotomanno et Io. Frid. Gronouio iunctim editos, Io. Ge. Graeuus cum Eliae Vineti et Gronouii notis Tomo XI. Thefauri Antiqu. Rom. inseruit, deductum, copiosius declararunt Georg. Agricola, libro de restituendis ponderibus et mensuris, Basil. 1550. edito, et Alex. Sardus, Ferrariensis, libello de nummis, in quo prisca Graecorum et Romanorum pecunia ad nostri aeris rationem redigitur, Moguntiaci 1579. 4. primum edito, et nouissime Tomo XI. Thefauri Antiqu. Rom. inserto. Idem libellus, nescio quo fato, sub Io. Seldeni nomine prodiit, et Lipsiae 1682. cum Phil. Labbei Bibliotheca Bibliothecarum, atque iterum A. 1692. recusus est, neutro editorum plagium animaduertente. Ne quis enim forte, hoc Seldeno inscio accidisse, suspicetur, ipse in praemissa ad Simonem Deunes dedicatione scriptum istud sibi tribuit, *aequationem*, inquiens, *feci ratione deducta a minimo pondere seminis hordei, usque ad maius talenti. Ceterum summa computi, quem dixi, huc maxime redit, quod*  
libra Romana confiterit XII. unciis,

Vncia

Vncia

VIII. drachmis,

Drachma

III. scrupulis,

Scrupulum siue scrupulum VI. filiquis,

siue VIII. lentibus, siue totidem speltis, siue IV. lupinis,

siue XXIV. hordeis, adeoque tota libra fuerit grano-

rum hordeaceorum 6912. Quae omnia recte se habe-

rent, si de ultimo computi huius fundamento satis

constaret. At enim ne de uocum quidem omnium

significatione satis conuenit. Siliquam, Graecis *νεγά-**710ν* dictam, Ios. Scaliger dissert. posthuma de re num-

maria p. 55. accipit pro fructu Corni arboris, qui

filiqua, h. e. theca, siue uaginula contineatur. At in

eo uapulat Lud. Sauoto in dissert. de nummis anti-

quis P. III. c. 1. quamuis ne hic quidem, qualis ille fru-

ctus sit, definiat. G. I. Vossius Etymolog. p. 473. uo-

cis filiqua significationem tam late extendit, ut quae-

cunque legumina, ut phaseolos, pisa, lupinos, sub

ea comprehendat, et hinc interpretatur Lucae XV.

u. 16. ubi filius prodigus comedisse dicitur *ἀπὸ τῶν νε-**γελίων, ὧν ἠδίων οἱ χοίροι, quod uertit uulgatus: de filiquis,**quas porci manducabant.* At in iis etiam, quorum uoca-

bula tam ambigua non sunt, ut tritici, et hordei

granis, pro diuersitate regionum, agrorum, et tem-

pestatum anni, tanta discrepantia occurrit, ut non

nisi lubricum et incertum ponderis fundamentum

suppetitent. Iam olim Theophrastus obseruauit, tri-

ticum Ponticum Siculo, Siculum Boeotico leuius esse;

et cum quinque corylae tritici Attici alendis athleticis

uix sufficerent, tres corylas tritici Boeotici ad uictum

eorum abunde suffecisse. Similiter Plinius de diuersi-

tate tritici in diuersis locis multa refert L. XVIII. c. 7.

C 2

XI.

## XI.

*Alii ex i-  
psis anti-  
quis Roma-  
norum pon-  
deribus et  
mensuris,*

Altera libram Romanam inuestigandi ratio mul-  
to speciosior est, quae ipsis Romanorum ueterum  
ponderibus et mensuris adhuc residuis superstruitur.  
Huiusmodi enim pondera C, XXX, X, IV, librarum,  
imo et unius librae, semissis, dodrantis, et quadran-  
tis, Romae a temporum iniuriis conseruata, in figu-  
ris aeneis exhibet Luc. Paetus sub finem L. V. de  
mensuris et ponderibus Romanis Graecisque, cum  
his, quae hodie Romae sunt, collatis, ad p. 1674.  
edit. Graeuianae, iisque examinatis, p. 1670. *Vncia*, in-  
quit, *qua hodie Romae utimur, antiqua uncia scrupulo uno  
et granis quatuor grauior est.* In Gruteri quoque in-  
scriptionibus p. 221. pondera quaedam marmorea et  
aerea antiqua cum libra Romana, qualis A. 1562. fu-  
it, comparata proferuntur, ex quibus prima, et re-  
liquis integriora, X. librarum, aequalia esse dicuntur  
libris Romanis hodiernis IX, et VIII. unciis, ut adeo  
una libra Romana uetus aequalis sit XI unciis librae  
Romanae recentioris, et sex decimis eius partibus. Ei-  
fenschmidius, Io. Grauii et Ed. Bernardi rationes secu-  
tus, hinc colligit, unciam Rom. ueterem 516. grano-  
rum Parisiensium fuisse, h. e. cum 550. grana Parisi-  
ensia unciam Colonensem constituent, i. lot 3½. quint-  
lein, quae summa duodecies sumta manifestat libram  
Romanam ueterem librae nostrae 22. lotis et 2. quint-  
fere aequalem.

## XII.

*In primis ex  
congio  
Vespasiani,  
continente  
X. libras Ro-  
manas,*

Nihil uero in hoc genere illustrius extat, quam  
congius aeneus Vespasiani, Romae inter cimelia Far-  
nesiana seruatus, unde et nonnullis Farnesianus dici-  
tur, cum tali epigraphe:

IMP.

IMP· CAESARE  
 VESPAS· VI·  
 T· CAES· AVG· F· III· COS·  
 MENSVRAE  
 EXACTAE· IN  
 CAPITOLIO  
 P· X·

Huius integram delineationem et magnitudinem archetypo respondentem, praeter Luc. Paetum d. J. in aere exhibet atque explanat Io. Bapt. Villalpandus in apparatu de urbe et templo Hierosolymitano, cum eius et Hieron. Pradi commentario in Ezechielem Romae 1604. ed. L. II. disput. II. c. II. Eadem delineatio, etsi in minorem formam contracta, reperitur in Gruteri Inscription. p. 223. Constant. Landi selectis Numismatibus p. 79. Ioach. Oudaan Roomfche mogenth. sub finem, Jac. Oisellii Thesauro numismatum antiqu. classe. X. sub finem, aliosque. Ipsa huius uasis inscriptio ostendit, illud capere liquoris infusi P. X. hoc est *pondo* siue libras, quales, Imperatore Vespasiano, Romae fuerunt, *decem*, totidem scilicet; quot Festus, Fannius, Dioscorides, aliique ueteres, congio, octauae amphorae parti, adscribunt.

## XIII.

Quomodo illa pondo X. hodiernae librae Romanae respondeant, Luc. Paetus, qui primus capacitatem congii Farnesiani a se exploratam, libro A. 1573. Venetiis edito, descripsit, p. 1635. editionis Graeuinae, his uerbis docet: *eum congium, obstructis rimulis* quarum una respondet ex computo Paeti, 22. lot. i. 3s.  
*cera, pura aqua ex cisterna, usque ad supremum angustum, ut schema demonstrat, plenum feci, (nam partem latam supra*

pra illud angustum ad conseruandum, ne mensura uiolari posset, factam fuisse existimari, ) sicque plenum cum iustissima trutinā, qua hodie Romae utimur, cum appendissem, inueni aquam, qua cum compleueram, libras nostri temporis nouem, uncias sex, et semis, efficere. Ex quo computo uncia Romana uetus continet 509. grana Parisiensia, quorum 550. unciam Coloniensem efficiunt, atque adeo tota libra Romana uetus responder 22. lot. et  $\frac{7}{8}$ . quintlein, aut si minutias negligas 22. lot. 1. quint.

ex compu  
10 Villal-  
pandi 23.  
lot 1.  $\frac{3}{4}$ .

fere. A Paeto dissentit Villalpandus, l. c. et eundem congiū, praesente Cardinali Farnesio, aliisque eruditissimis uiris, bilance examinatum, aquae purissimae, ex limpida cisternae haustrae, libras decem, quales hodiernum Romae in usu sunt, exacte continere, affirmat, p. 351. Libra autem Romana recentior, si ex obseruatione Grauii habeat 534. grana Parisiensia, aequat librae Colonienfis 23 lot 1. quintlein fere. Ab

ex compu  
10 Gassendi  
23. lot 1  $\frac{3}{4}$   
38.

huius rationibus parum dissentit Petrus Gassendus, qui explorationem congiū illius, cura Peirescii, Richelii Cardinalis, eo tempore aedes Farnesianas incolentis, ope obtenti, de integro instituit. En ipsa eius uerba: *cautiones adhibuimus easdem, quas Paetus et Villalpandus, dum uas ipsum ad summum puteali aqua oppleuimus, expendimus, uasis pondus subduximus. Deprehendimus autem, aquam, quae Romano pondere esse debuit X. librarum, siue unciarum CXX, esse pondere Parisiensi librarum VII, minus unciae quadrante, siue unciarum III.  $\frac{3}{4}$ . in uita Peirescii L. II. p. 273. Tomi V. Opp. Secundum hunc enim computum, librae Romanae ueteri conuenient 23. lot 1  $\frac{3}{4}$ . quintlein fere. At ne in horum quidem experimentis acquiescit Sauiotus P. III. differt. de nummis antiquis, c. 32, ubi Vil-*



23

Villalpandum in appendendo congio bilancem minus perite tractasse, adeoque operae pretium non fecisse, contendit, etsi, potius alienam sententiam destruit, quam meliorem adstruit. Similiter Auzoutus, cum post omnes haecenus recensitos aquae *ex compu-* congio infusae pondus explorasset, illam 109. uncias *10 Auzouti* Parisienses, minus 24. granis, siue 62760. grana Pa- *22. lot. 3/4.* risiensia aequare, deprehendit, ut refert Eisen- *quint.* schmidius de ponder. et mensur. c. 2. p. 27. hoc est, si pondus Colonienſe requiras, VII. libras 4. lot. 7/8. quint. ut adeo uni librae Romanae ueteri non nisi 6276. grana Parisiensia siue 22. lot. 3/4. quintlein conueniant. Haec tanta in uno eodemque uase explorando differentia maximam partem aquae infusae diuersitati tribuenda uidetur. Nam aquam fluuialem et pluuialem leuiorem esse fontana, et utraque hiemali tempore condensatas grauiores esse, quam aestiuo, naturae periti norunt. Leg. Comment. Academiae scientiarum Regiae A. 1699. p. 48. Fortasse etiam alius plus, alius minus aquae infudit, prout congium uel in collo, uel infra colulum, quo uas illud munitum fuisse, testatur Paetus l. c. terminari credit.

#### XIV.

Tutius proinde uidetur ex solidorum corporum pondere ab antiquis notato libram Romanam inuestigare. Ad haec praeter ea, quae paulo ante ex Grutero memorauimus, imprimis pertinent nummi argentei, ac nominatim denarii Romanorum, qui adhuc in omnium fere eruditorum manibus uersantur. Horum enim VII. ex uncia Romana,

*Alii ex denariis Romanorum.*

na, et LXXXIV. ex libra Romana olim cufos fu-  
 iſſe, idonei autores teſtantur. Corn. Celfus L. V.  
 de re medica c. 17. *Sciri uolo, in uncia pondus denari-  
 orum ſeptem eſſe*, et Plinius L. XXXIII. c. 9. *iuſtum eſt  
 LXXXIV. (denarios) ex libra ſignari*. Et iſta quidem  
 ponderis meſſura olim tam conſtanter ſeruata eſt,  
 ut rex Taprobanes iuſtitiae Romanae argumentum  
 ex eo ceperit, *quod in captiua pecunia pares pondere  
 denarii eſſent, cum diuerſae imagines a pluribus factos  
 indicarent*, ut autor eſt Plinius L. VI. c. 22. At poſtea ſub  
 principibus, maxime uero a Neronis temporibus, pon-  
 dus illud ita diminutum eſt, ut non VII, ſed VIII  
 ex uncia Romana cuderentur, qui drachmas fere  
 Graecorum aequabant, quod ipſa experientia docet,  
 ſi utriusque generis nummos appendas, et Plini-  
 us cum L. XXXIII. c. 9. tum XXI. c. ult. indicat,  
 dum *drachmam Atticam denarii argentei* (ſuo nimirum  
 tempore cuſi,) *pondus habere*, ſcribit. pluribus id oſten-  
 dit Franc. Hotomannus Lib. de re nummaria populi  
 Rom. p. 133. et Sauotus de nummis antiquis P. III.  
 c. 3. p. 1207. Quare non niſi ex antiquiſſimis, et po-  
 tiſſimum conſularibus denariis, iisque integris, et  
 nullum inſigne detrimentum uetuſtate paſſis, libra Ro-  
 mana diiudicanda eſt. Quod ſi ergo hi tales ad pondus  
 noſtrum exigantur, ſinguli fere 78. momenta, quo-  
 rum 608. uncia Colonienſis continet, adaequant,  
 ſiue, quod eodem redit, drachmam, (ein quintlein)  
 duobus momentis ſuperant.

## XV.

Pridem plurimi ac doctissimi uiri nummorum pondera a se explorata annotarunt; leg. Wilbordus Snellius de re nummaria p. 15. Eifenschmidtus de ponder. et mensur. p. 33. et plurimi alii ab eo laudati. Sed cum isti non satis inter se consentiant, et praeterea iucundius sit in huiusmodi argumentis manibus oculisque suis, quam aliorum testimoniiis credere, ipse ex illorum, qui mihi ad manus fuerunt, denariorum Consularium numero, integerrimos quosque selegi, appendi, et illud, quod dixi, pondus in his maxime deprehendi:

I. Nummus gentis Hosidiae, in cuius una parte aper telo transfixus a cane uenatorio tenetur, cum subscriptione: C HOSIDI C F in parte altera Diana, ut uidetur, cum pharetra et arcu, III VIR GETA

II. 1. Caput Apollinis cum adiecto scorpione, sine inscriptione. 2. eques desultorius palmam tenens, C PISO L F FRVGI

III. Nummus ferratus, ab Vrsino et Patino praetermissus, 1. caput barbarum et cinctum laurea, 2. quadrigae. L SCIP ASIAT

IV. 1. Caput lauro cinctum cum lyra ad ceruicem. 2. Diana utraque manu facem tenens P. CLODIVS M F

V. 1. Caput Romae, ROMA. 2. bigae T CLOV

VI. 1. Caput cinctum, et inauri ornatum, cum adiecto ad ceruicem flore C CLODIVS C F. 2. uirgo Vestalis insidens fellae, dextra lampada tenet, VESTALIS.

D

VII.

VII. 1. Caput cinctum; sub mento nota denarii  
\* ad ceruicem ROMA 2. caput elephantis, cui cir-  
cumscriptum: M· METELLVS· Q· F·

IIIX. 1. Caput Romae cum nota denarii X. 2.  
bigae: A· SPVRI· ROMA·

IX. 1. Caput bifrons, cui circumscript. M FO  
VR LF (M. Furius Lucii F.) 2. Roma, sinistra ha-  
stam tranuerfam tenens, dextra tropaeum inter duos  
clypeos positum coronat, ROMA PHILI

X. 1. Caput Romae A PV 2. bigae M LVCILI

XI. 1. Caput muliebri C. ANNI T· F· T· N·  
PROCOS EX S· C· 2. quadrigae L· FAB· L· F·  
HISP

XII. 1. Caput barbatur, forsitan Tatii Sabini, quod in-  
nuit inscriptio: A SABIN 2. raptus Sabinarum. L·  
TITVRI

Horum nullus 78 momentorum, pondus pluribus,  
quam uno momento, deserit, aut superat: plerique uero  
illud exacte, et iucundo prorsus consensu, referunt. Se-  
pteni uero simul librae impositi, non integra semi-  
drachma minus, quam duas semiuncias, (2. lot.) pon-  
derant, ut adeo LXXXIV, quot, teste Plinio, ex libra  
Romana cudebantur, 22. semiuncias proxime adae-  
quent. Nam 78. momenta quater et octogiesies sum-  
ta 21. lot.  $2\frac{2}{3}$ . quintlein, relictis tantum 2. momentis,  
reddunt. Pauca, quae ad 22. lot. desunt, momenta,  
uetustas detraxisse uiderur, huius enim iniuriam, per  
tot saecula nec optimi et diligentissime conseruati  
nummi prorsus euitare potuerunt. Sumamus igitur,  
libram Romanam ueterem fuisse 22. lot. facilius, si  
quidem alterutrum necesse sit, eam paulo maiorem,  
quam

quam minorem, credituri. Atque haec ipsa sententia est Lud. Sauoti, qui libro de nummis antiquis, (discours sur les medailles antiques, Paris. 1627. edito) per Neocorum Latine uerso, et Tomo XI. Thefauri antiquit. Rom. inserto, P. III. c. 23. ex pondere antiquorum numismatum, tam argenteorum, quam aureorum, colligi posse, inquit, libram antiquam continuisse 6048. grana Parisiensia, quae ad pondus marcae Parisiensis exacta ratione efficiunt uncias 10. et  $\frac{1}{2}$ . Reuoca 6048. grana Parisiensia ad pondus Colonien-  
se, illa non ultra 2. grana ab 11. unciis siue 22. lot. differre, deprehendes. Eodem redit computus Bouterouii qui Recherch. curieus. des monoyes de France, libram Romanam  $10\frac{1}{2}$  unciis Paris. h. e. 22 lot minus 2. gran. aestimat. Conf. Eifenschmidius de Pond. et mens. p. 28. Nec nisi  $\frac{1}{2}$  unciae maiorem eam facit le Blanc. Traite Hist. des Monoyes de France, p. 38. Fauet huic sententiae computus Luc. Paeti, ex congio Farnesiano deductus, quo libram Romanam cum 22. semiunciis et 1. drachma, sed non integra, comparari, ostendimus. Neque multum discrepant pondera Gruteriana, supra memorata, etsi inter se ipsa minus aequalia. Non facile autem in eorum sententiam iuerimus, qui libram Romanam ueterem eandem ac hodiernam, hoc est, 23 semiunciis maiorem fuisse, contendunt, ut praeter Villalpandum, praecipuum illius patronum, Leon. Portius in libello de sestertio, talentis, pecuniis, ponderibus et mensuris Basil. 1530. 8. edito, p. 10. et nouissime Barthol. Beuerinus in syntagmate de ponderibus et mensuris, Lucae 1711. edito, et Lips. 1714. 8. recuso, p. 40. Saltem nummos Romanorum aureos, aequae ac argenteos, quicunque hodie superstites sunt,

sunt, a pondere illo longe abesse, post alios obseruat Eifenschmidius, p. 38. Non quidem specie carent argumenta, quae potissimum a diligenti custodia ponderum, apud ueteres, in Capitolio, et in templis sanctissime adseruatorum, ducuntur. Sed tantum sane pondus non habent, si reipublicae Romanae rationes ab exteris gentibus toties ac tantopere perturbatas et immutatas fuisse, reputemus.

## XVI.

*Hinc pondus aeris singularium classium definitur.* Ut ergo tandem ad scopum nobis propositum ueniamus, census classis primae, quem Linius CM. aeris fuisse, affirmat, aut saltem mensura eius in affibus liberalibus, aequauit libras Colonienfes 68750. classis II, LXXVM. aeris, libras Colonienfes 51562: classis tertiae L M aeris, libras Colonienfes 34375. classis quatrae, XXVM. aeris, libras Colonienfes 17250. classis quintae XIM. aeris, 7562. libras Colonienfes. Non moramur nunc obiectionem eorum, qui libram Romanam sub regibus aliam et grauiorem, quam florente republica, fuisse, putant. Nam praeterquam, quod, quanta illa fuerit, definire non possunt, tora haec opinio ex uerbis Plinii non recte intellectis orta uidetur, qui L. XXXIII. c. 3. *librale pondus aeris bello Punico I. imminutum fuisse*, scribit. Sed recte contra illos ad h. l. Harduinus commentatur: *Affis, qui libralis erat, pondus est imminutum, non ipsius librae pondus, ut uisum quibusdam, alias erudit.*

## XVII.

*Magnitudo census primi Rom.* Hactenus pondus aeris, quo Seruius Tullius primum Romanorum censum metitus est, examinatum: restat ut pretium illius consideremus, de quo ex pretio: non minor est uirorum eruditissimorum dissensio. Guili-

Guilielmus Budaeus sub initium L. V. de aſſe, eum-  
que ſecuti Matthaeus Hoſtus in hiſtoria rei numma-  
riae ueteris L. II. c. II. §. 36, p. 193. edit. Frf. 1580. 8. Ia.  
nus Gruterus ad Liuii l. c. aliiſque cenſum

*uerſae au-  
torum ſer-  
tentiae re-  
cenſentur.*

Claffis I. faciunt 1000. aureos coronatos ſiue ar-  
genteos unciales 1250.

Claffis II. 750. coronatos ſiue argenteos unci-  
ales 927½.

Claffis III. 500. coronatos, ſiue 625½ numos un-  
ciales.

Claffis IV. 250. coronatos, ſiue 312½ nummos un-  
ciales.

Claffis V. 110. coronatos, ſiue 137½ unciales: at-  
que adeo mille aeris pro centum denariis, et centum  
denarios pro 10. coronatis accipiunt.

Bil. Pirckhaimerus in Priſcorum nummorum aeſtim.  
p. 12. *Prima claffis, inquit, cenſus a Ser. Tullio inſtituta, fuit,  
quae C M aeris uel ſupra habuit. Valere autem Rhenenſes  
mille ducentos quinquaginta. Secunda claffis fuit eorum qui  
habebant in cenſu 75000, hoc eſt Rhenenſes cum 1937 dimidio.  
reliqua.*

Wilebordus Snellius L. de re nummaria p. 69. cen-  
ſum claffis I. aeſtimat 2400. Edoardacis nobilibus,  
Io. Meurfius cap. I. de luxu Romanorum p. 5. CM  
aeris interpretatur 1000. florenos, adeoque C aeris  
aeſtimat I. fl.

Perr. Gaſſendus in abaco, CM aeris confeciſſe, putat  
3722. libras Turonenſes, 4. ſolidos, 5½ denariolos, h. e.  
1240. imp. atque adeo C aeris ſiue denarios 10. pro 3  
libris, 14. ſolidis, 5½ denariol. 10. uero aeris ſiue dena-  
rium unum pro 7. ſolidis, 5½ denariol. accipit.

Io. Frid. Gronouius Lib. de Seſtertiis p. 181. claffem I.

conficere putat summam 3000. florenorum Hollandicorum, h. e. 1500. Imperial. cuius sententiam retinuit Io. Clericus in notis ad Liuii L. I. cap. 43.

Io. Harduinus in annotationibus ad Plinii L. XXXIII. Sect. XIII. CXM aeris (tantum enim Plinius censum classis I. facit) monetae Gallicae libras 4400, atque adeo CM aeris 4000. libras, h. e. 1333. imperial. et 8. grossos fuisse, affirmat.

Isaac Barrouius, in abaco ad calculum Grauiarum confecto, 322. libras Anglicanas, h. e. 1431. imperiales constituit censum Classis I.

Nemo autem ampliores opes primis Romanis tribuit, quam Io. Douiatius, qui in notis ad Liuium, A. 1679. in usum Delphini editum, classem primam aestimat 65625. libris Turonensibus, h. e. 21875. imperial.

## XIX.

*Causae  
huius di-  
uersitatis  
ex diuerso  
pondere  
librae Ro-  
manae tri-  
buto, et ua-  
lore aeris  
mutato de-  
ductae.*

Diffensio haec ex duplici potissimum causa proficiscitur, I quod diuersi diuersum pondus librae Rom. tribuunt, ut copiose superioribus §§ demonstraui-  
uimus. Nam prout quisque eam uel grauiorem uel leuiorem facit, ita etiam minoris aut maioris aestimet, necesse est. II. ab inconstanti aeris ualore et pretio, quod non tantum apud diuersas gentes diuersum, sed et apud ipsos Romanos a Seruii Tullii aetate usque ad Liuium insigniter mutatum est. Cum enim antiquissimis temporibus, atque adeo inde a Seruii Tullii aetate, asses librales fuissent, bello Punico I. quo impensis respublica non sufficiebat, *librale pondus aeris imminutum, constitutumque est, ut asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes lucri factae. Postea Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore, asses unciales facti, ita respublica dimidium lucrata est, ut Plinius*



nus Lib. XXXIII. cap. 3. uerbis ab Harduino emendatis, refert. Ita unum ideinque aeris pondus, quod initio unicum assem constituebat, ualore nummorum aeneorum progressu temporis aucto, 6, 12, imo tandem 24. asses dedit, cum scilicet, ut eodem loco Plinius addit, lege Papiria semiunciales asses facti sunt.

## XIX.

Hinc adeo differentia, aeris grauis et leuis orta, *Aes graue* et graue dictum, quod pleno quasi pondere, more *quid fuerit?* antiquo appendebatur, non, ut post bellum Punicum fiebat, imminuto, soluebatur. Explicationis illius autorem locuplerem habemus Festum u. grauis, ubi, *grauae aes dictum, ait, a pondere, quia deni asses singuli pondolibras efficiebant, denarium ab hoc ipso numero dictum.* Sed bello Punico populus Rom. pressus aere alieno ex singulis assibus libralibus fenos effecit, qui tantundem ualerent. Imo ipse Plinius l. d. hanc aeris grauis significationem confirmat. Cum enim dixisset: *Librales appendebantur asses, statim addit: Quare aeris grauis poena dicta.* Huic aeri graui deinde imminutum opponit: *librale autem pondus imminutum bello Punico l. etc.* Insigniter hoc aeris discrimen illustrat disputatio inter Sext. Caecilium et Fauorinum apud Gellium L. 20. c. 1. Impugnat Fauorinus leges XII. tabularum, quod nonnulla impendio leuiora contineant. *Nonne enim, inquit, tibi quoque esse uidetur nimis diluenum, quod ita de iniuria poenienda scriptum est: SI INIURIAM FAXIT ALTERI, XXV AERIS POENAE SVNTO?* *Quis enim tam inops, quem ab iniuriae faciendae libidine XXV. asses deterreant?* Itaque cum eam legem Q. Labeo quoque noster in libris, quos ad XII. tabulas conscripsit, non probaret, quidam, inquit, Lucius Veratius fuit, egregie homo improbus

probus atque immani uecordia. Is pro delectamento ha-  
 bebat os hominis liberi manus suae palma uerberare. Eum  
 seruus sequebatur crumenam plenam assium portians, et  
 quemcunque depalmauerat, numerari statim secundum XII  
 tabulas XXV asses iubebat. Respondet Caecilius, legum  
 illarum auctoritatem defendens: Non omnino omnes, mi  
 Fauorine, iniurias aesse isto pauco diluerunt, tametsi et haec  
 ipsa paucitas assium graue pondus aeris fuit, nam libra-  
 riis assibus in ea tempestate populus usus est. Vides  
 hic luculentissimum aeris grauis et leuioris dif-  
 crimen. Aes graue tribuit illi tempestate, qua leges  
 XII. tabb. confectae sunt. De hac enim paulo ante  
 dixerat: trecentesimo anno post Romam conditam (atque  
 adeo ante bellum Punicum, quo asses imminuti sunt)  
 tabulae compositae scriptaeque sunt, a quo tempore ad hunc  
 diem anni esse, non longe minus septingenti, uidentur. Aes  
 leue autem adscribit illi aetati, qua seruus Lucii Ve-  
 ratii crumenam assibus plenam a tergo heri ferebat,  
 ut ex eo uiginti quinque asses ad iniurias compenfan-  
 das illico depromi possent. Hoc est tempori bell-  
 um Punicum secuto, quo asses unciales et semi un-  
 ciales factos fuisse, ostendimus. Quanto enim quaeso  
 marsupio opus fuisset, tot assibus libralibus capien-  
 dis, qui aliquando plaustris in aerarium deportaban-  
 tur, ut Liuius L. IV. c. 60. refert, et, ut Varro scribit:  
*in cella alii super alios stipabantur.* Ita Gassendus in  
 abaco p. 536. Tomi V. opp. ita Salmasius de usur. c. 6.  
 ita Hotomannus de re nummaria, singulari capite de  
 assibus leuioribus, ita Gronouius L. III. c. 15. de pecun.  
 Vet. ita alii fere omnes rei nummariae interpretes  
 aeris grauis rationem exposuerunt.

Si quis tamen constanti optimorum Autorum *Eius im-*  
 consensui fidem deneget, ille tantum oculis manibusque *minui in-*  
 suis credat, ubi nummi Romani aenei eiusdem ualoris *dicia in*  
 iudicia, sed diuersissimum pondus habentes, ipsi obla- *nummis*  
 ti fuerint. Non nescio dubitare quosdam, an ulli hu- *aeneis.*  
 iusmodi, ex tam remota antiquitate ad aetatem no-  
 stram peruenerint, ut Wagenfeilius de re monetali Vet.  
 Rom. p. 27. et Io. Valens in praefat. ad familias Rom.  
 Sed Ez. Spanhemius de praest. et usu Numismatum  
 dissert. I. pag. 21. Bouteroue recherch. curieus. des  
 monoyes de France sub initium, Molinet. Cabinet de  
 la Bibliotheque de Ste Geneuienne p. 45. seqq. plu-  
 rimos illorum ex praecipuis Musaeis collectos in figu-  
 ris aeneis exhibuerunt. Nouissime Eifenchmidius  
 integrum catalogum talium nummorum magno stu-  
 dio conquisitorum cum notato singulorum pondere,  
 libro suo de pond. et mens. praemisit. Inter hos oc-  
 currunt e. gr. semisses, nota S. signati, quorum alii  
 unam unciam, alii 5. cum 1, 2, 3, grossis Parisiensibus  
 ponderant; Item trientes cum nota quatuor puncto-  
 rum, 0000, quorum alii 2, 3, 4, grossos, alii 1, alii 2,  
 alii 3, uncias cum aliquot grossis continent, et similis  
 in quadrantibus, sextantibus, et unciis ponderis dis-  
 similitudo occurrit, manifesto indicio, pondus mo-  
 netae aeneae diuersis temporibus apud Romanos di-  
 uersissimum fuisse. Caeteroquin non negauerim,  
 uocabulum illud interdum pro aere rudi et appenso  
 ab antiquis aequae ac iunioribus fuisse acceptum. Ita  
 Isidorus originum L. 16. c. 17. *signatum est, quod in num-*  
*mo est, infectum quod in massis, quod et graue dicitur i. e.*  
*massa.* Et Seruius ad Virgil. Aeneid. VI. 861. *aere gra-*  
*ui donatus, i. e. massis.* Nam sic et Liuius argentum gra-  
 ue

ue dixit, i. e. *massas*. Eodem modo hac uoce passim utuntur Budaeus, Hofstus, Scaliger, Salmasius, ceteri.

## XXI.

*Noua L.*

*Kuseri de*

*acre graui*

*opinio a*

*I. Perizo-*

*nio confu-*

*sata.*

Fluctus igitur in simpulo mouit Lud. Kusterus, dum in diatriba Anti Gronouiana 1712. Amstel. edita abusus quibusdam ex his locis, nouam et ante se inopiam a auditam sententiam prolaturus *aes graue et aes proprie ac absolute ita dictum reuera idem esse, adeoque non, quod omnibus adhuc persuasum fuit, certam aeris uel aereorum nummorum speciem pondere, mole, uel forma a reliquo aere distinctam, sed quodcunque aereorum nummorum genus argento et auro signato oppositum notasse contendit.* uide inprimis pag. 62. et 66. Pro qua noua sententia nihil fere est, quod cum specie quadam urgeat, praeter uerba Senecae pridem ab Horomanno et aliis ad hoc argumentum accommodata, quibus ad Heluiam cap. 12. et natural. quaest. L. I. *Scipionis filias a Senatu aes graue in dotem accepisse*, memorat, eo nimirum tempore, quo non amplius librales asses cudebantur, sed pondus eorum iam diminutum fuerat. Hinc scilicet aeris grauis uocabulo non asses librales, sed aes quodcunque significari concludit. Sed primo pone Senecam nouo quodam modo hac uoce usum fuisse, id tamen adeo luculentam explicationem illius a Plinio, Festo, Gellio, aliisque suppeditatam non tolleret. At enim uel ex paulo ante prolatis Isidori et Seruii uerbis patet, aes graue interdum pro rudi et appenso usurpatum fuisse. Huius enim usum post cusos nummos argenteos, aequae ac aereos leuiore non statim desuisse, cum praesertim ex aerario aliquid solueretur, plurimis testimoniis demonstrari posset, si res uerba

uerba desideraret. Sed otium nobis hic fecit Iac. Perizonius V. C. qui singulari dissertatione de aere graui Lugd. Batav. 1713. edita omnes Kusteri obiectiones solidissime discussit.

## XXII.

Cum igitur tempore inter Seruii Tullii et inter *Obserua-*  
Liuii aetatem interiecto asses tantopere immutati *fusiones V.*  
rint, haud immerito quaeritur, utrum ex libralibus, an *de pretio*  
ex semiuncialibus census Romanorum primus sit ae- *nummo-*  
stimandus? Inutiliter hanc controuersiam tractare- *rum Rom-*  
mus, nisi antea constaret, quantam summam CM. *recte diu-*  
aeris leuis, si ita loqui liceat, aut si malis, imminuti, *dicando.*  
quale Liuii aetate fuit, conficiant. In huius autem  
rei notitiam accuratorem ut perueniamus, certi qui-  
dam gradus praestruendi sunt, uniuersae rei numina-  
nae recte diiudicandae utiles. Itaque tenendum:

I. *Asses aetate Liuii semiunciales fuisse, Obserua-*  
h. e. 24. confecisse libram, ut ex paulo ante dictis ap- *tio I.*  
paret. Nam Lex Papiria, qua Plinius eos ad hoc  
tam exiguum pondus redactos fuisse testatur, a Pa-  
pirio Turdo, qui anno, u. c. 576. Tribunatum ges-  
sit, aut certe diu ante Augusti et Liuii aetatem per-  
lata est. Leg. Pighii annales ad an. 575. et Harduini  
annotationes ad Plinii Libr. XXXIII. Sect. 13.

II. *Sedecim eiusmodi asses semiunciales de-* *Obserua-*  
*narium argenteum constituisse.* Poterat hoc *tio II.*  
*πράξιδοξον* uideri, cum apud Romanos *omnis nummus*  
*argenteus ex numero aeris potestatem habuerit*, ut Volu-  
sius Maecianus p. 1708. edit. Graeu. ostendit, et no-  
minatim *denarius*, autore Festo, *ita dictus fuerit a nu-*  
*mero X* affium, quos pretio aequabat. Consentit Plu-  
tar

tarchus in Camillo, δεκάταλκον, inquires, ἐκαλέτο δὴ  
 νάξιον, *decussis* (sive X asses) uocabatur *denarius*. At  
 enim etsi initio talem aeris ad argentum rationem  
 fuisse, et ab hac ipsa denarium nomen suum accepisse  
 concedimus, illa tamen ratio postea bello Punico II.  
 Q. Fabio Maximo dictatore, h. e. circa annum u. c.  
 537. sive ante Christ. nat. 217. cum ipso assium pon-  
 dere mutata est. Plinius L. XXXIII c. 3. *Hannibale*  
*urgente Marcum, Q. Fabio Maximo dictatore, asses unciales*  
*facti, placuitque denarium sedecim assibus permutari, qui-*  
*narium octonis, sestertium quaternis.* Difficultatem haec  
 mutatio non exiguam attulit Guil. Budaeo, qui cum  
 centenios denarios millenos aeris ualuisse affirmasset,  
 L. 5. de assē p. 246. edit. Basil. a. 1556. f. ad istum Plin-  
 nii locum delatus nescit propemodum, quo se uertat.  
 Putat, si belli Punico tempore ratio nummaria argenti au-  
 rique immutata fuerit, opibus Romanorum accisis, eam ta-  
 men finito bello in pristinum statum rediisse. Sed frustra:  
 cum ipse negare non possit, Vitruuium, qui libros  
 suos de architectura ad imperatorem Augustum scripsit,  
 adeoque Liuii nostri aequalis fuit, L. 3. c. 1. diserte  
 testari, quod suo etiam tempore denarius 16. asses  
 ualuerit. Quid? quod ualorem istum denarii diu post  
 Liuii et Plinii tempora remansisse Volusius Maecia-  
 nus, qui sub Antonino Pio uixisse creditur, l. c. his  
 uerbis confirmat: *denarius primo* (scilicet ante bellum  
 Punicum II.) *asses decem ualebat, unde et nomen traxit;*  
*quinarius dimidium eius, i. e. quinque asses, unde et ipse*  
*uocatur; sestertius duos asses et semissem, quasi semis ter-*  
*tius: --- nunc denarius sedecim, uictoriatius et quinarius octo,*  
*sestertius quatuor asses ualet.* Ipse Budaeus causae suae pa-  
 rum confidere uidetur, quando paulo post addit, ut  
 uerum

uerum esse ponamus, quod a Vitruuio dictum est, in assis tantum et quadrantis sextantisque aestimatione deceptus sum, id quod mihi ad magnarum rerum aestimationem deprehendendam obstitit. Et sane non tantum Budaeus, sed et multi alii eius auctoritatem secuti hic decepti sunt, quorum proinde supputationes secundum hanc regulam sunt emendandae.

III. Denarii Romani pretium non aestimandum est ex iis nummis, qui sub Caesaribus, maxime a Neronis tempore, sed ex iis potissimum, qui sub Consulibus cusi sunt. Observatio III. Nam etsi utrique idem ualuerunt, tamen pondere et bonitate interna diuersi fuerunt, ut iam supra ostendimus. Alteri nimirum (Consulares) ipso argento siue id rude et infectum esset, siue signatum XVI. asses ualuerunt: Et horum non nisi septem ex uncia, et LXXXIV ex libra factos fuisse uidimus. In alteris uero, quorum VIII ex uncia, atque adeo XCVI, imo aliquando etiam plures ex libra cudebantur, principes Romanorum, id quod ponderi, ut Plinius LXXXIII. c. 9. ait, subtraxerunt, sua auctoritate supplerunt, atque adeo non nihil lucri fecerunt, aut saltem ad refarciendos sumtus in rem monetariam factos sibi reseruarunt: secus ac olim in libera republica fieri consueuerat. Insigne hoc discrimen non satis attenderunt Budaeus Portius, Alciatus, Hostus, et sexcenti alii horum auctoritatem secuti, qui totum computi sui fundamentum denariis caesareis superstruunt, eorumque XCVI, imo dum drachmam cum denario minus caute comparant, et minam Atticam cum libra Rom. XII unciarum confundunt, C in libram computant, contra disertissimum Plinii testimonium, quo

non nisi LXXXIV. ex libra signari iustum fuisse  
confirmat l. c.

Obferatio  
IV.

IV. Si quis pretium Veterum nummorum Rom.  
monetae nunc usitatae numeris, ac nominibus re-  
cte exprimere uelit, id non ex supputat. Budaei,  
Hosti, Gassendi, Gronouii, aliorumue eruditissi-  
morum licet uirorum, qui patrum auorumque no-  
strorum memoria rem nummariam exposuerunt,  
desumendum, sed e nummorum consularium, qui  
maxime integri ad nos peruenerunt, argento et  
pondere secundum nostrae aetatis monetam aesti-  
mato, deducendum esse. Non repetam nunc, quod  
modo ostendi totum supputationis fundamentum a ple-  
risque non recte esse constitutum: sed hoc saltem inten-  
do, quod ipsa moneta nostra duobus his potissimum  
saeculis, ne altius ascendam, insignes mutationes subie-  
rit. Ut alia exempla nunc taceam, quem nostrum  
fugit Pactum Zinnenſe anno 1667. et Lipsiense 1690.  
inter Serenissimos Principes Electores, Saxonem, Bran-  
denburgensem et Brunſuicensem initum, per quod  
nummus imperii uncialis modo Lipsiensi (*nach dem  
Leipziger Fuß*) cufus, 8. grossis Misnicis siue semisse  
floreni minor, quam uetus nummus imperialis Ioachi-  
micus euasit. Similes nummorum imminutiones  
apud exteros aequae ac Germanos post Alciati, Bu-  
daeï, Philippi Melanchtonis, Hosti, aliorumque hu-  
iusmodi scriptorum aetatem quam plurimae accide-  
runt, quare mirum non est, pretium a doctis his ui-  
ris monetae nostrae nominibus statutum, hodie tam  
parum nummis Romanis congruere. Ita, ut dome-  
sticis



sticis saltem exemplis utar, Phil. Melanchton in nominibus mensurarum a. 1533 Tubingae cum Pirckhaimerii aestimatione priscorum nummorum; a 1530 Hagenoae cum Alciati libro de pond. et mens. et ut conicio iam ante editis p. 34. Edit. Tubing. assẽm tribus nummulis Misorum, et denarium 30. nummulis, h. e. 2. grossis et 8. nummulis Misnicis aestimat: cum tamen eum drachmam, qualis in myropoliis pro pondere usurpatur (*ein quintl.*) aequare, non ignorauerit. *Quantum*, inquit, ualeat denarius, ipsum pondus indicat, *ein quintl. Silber*; atqui hodie drachma argenti (*ein quintl. Silber*) ubique quatuor grossis redimitur. Errant igitur uehementer, qui hos numeros hodiernum retinent, et denarium non plus, quam 2. grossos et 8. nummulos nostrae monetae ualere, sibi persuadent.

V. *Secundum has obseruationes denarium XVI assibus semiuncialibus pretio aequalem, ut minimum quatuor grossis Misnicis, qui cum 15. cruciatis Caesareis permutantur, et  $\frac{1}{2}$  floreni modo Lipsiensi (nach dem Leipzischen Fusse cusi) constituunt, ualere dicimus.* *Obseruatio V.* Sententia haec ipsa experientia, et argenti, quo denarius consularis constat, ad moneram nostram aestimatione nititur. Hic enim denarius ex purissimo argento conflatus drachmam hodie usitatam, i. e. 64tam marcae Colonienfis partem, uulgo ein quintlein dictam, ponderat. Tantum uero puri argenti pondus nunc apud nos quatuor grossis emi et uendi, lippis atque tonforibus notum est. Nec obstat, quod denarii Caesarei drachma nostra leuiores sint, nam hos exter-

externo potius, quod ab autoritate Principis accipiebant, quam interno argenti pretio ualuisse, iam supra monuimus. Etsi uero non exactissimum, tamen strictissimum saltem pretium, quo minus secundum monetam nunc usitatam denario tribui non potest, indicauimus. Nam eum alioquin Drachmam duobus plerumque granis superare ipsimet exemplis docuimus: neque negauerimus, aliquid fortasse etiam iis, qui integerrimi nobis uidentur, uetustate decessisse. Sed cum hoc certo definire non liceat, saltem eo usque progredimur, quo ipse manuum et oculorum sensus in tractandis nummis antiquis nos ducit. Pauca autem illa grana excedentia, quae non nisi in maioribus summis attenduntur, et in uno denario aestimari uix possunt, uel ideo hic negleximus, ut numerum rotundiorum minoribusque difficultatibus obnoxium seueremus.

## XXIII.

*Pretium  
censu pri-  
mi si assi-  
bus semi-  
uncialibus  
aestimatur*

Iam ex his principiis facillimum erit pretium primi Romanorum censu secundum aes leue aestimari definire. Nam si XVI. asses uni denario aequales quatuor grossos ualent, CM. aeris haud dubie 6250. denarios, et 25000. grossorum Misnicorum siue 1562½ florenos imperiales ualebunt: quod si bina illa, quae dixi, grana argenti in singulis denariis residua sedenis assibus, atque adeo 12500. toti summae superaddas, haec 41½ florenis angebitur, adeoque ad 1603. florenos, 10. grossos excrecet. Hinc de reliquarum classium censu, eiusque pretio facile iudicare licet. Sed iterum moneo me hic non nisi strictissima computatione uti, prout enim quisque denarium Romanum pluribus granis quartam floreni nostri partem excessisse putat, non

non potest non pluris censum illum Romanorum aestimare. Eos uero errare, manifestum est, qui eum ad minorem pecuniae summam restringunt. Miror hic, Eiusenschmidium, tametsi libram Romanam maiorem, quam nos facit, tamen CM. aeris p. 186. non nisi 1250. florenis aestimare, quia fortasse pecuniam magis legitimam, qualis a. 1559. a Ferdinando I, et a. 1566. a Maximiliano II. constituta est, quam hodie ubique usitam, respexit.

## XXIV.

Ex hac aestimatione assium semiuncialium facile *Pretium* assium libralium, siue aeris grauis, pretium deduces, si *primi. cen-* pretium priorum quater et uigesies sumseris, Nam *sus si aere* semiuncia est pars librae Romanae uigesima quarta, *gravi ae-* ut uncia duodecima. Itaque CM. aeris, quae in assibus *stimetur.* semiuncialibus efficiebant 1603. florenos, et decem grossos Misnicos, in aere graui reddent 38487. florenos.

## XXV.

Nunc eo redit controuersia, utrum census Ro- *Prior ae-* manorum primus a Seruio Tullio institutus priori, an *stimatio* posteriori modo aestimari debeat, h. e. utrum cuius *relicitur.* Romanus e. g. classis primae 1603, an 38487. florenorum opes possederit? Priorem sententiam plerique rei nummariae interpretes, et hos fere sine ampliore indagine secuti commentatores Liuii, usque ad nouissimum eius editorem Io. Clericum, sancte sibi retinendam putarunt: et habent sane argumenta nonnulla, quibus illam defendant. Inter ea praecipuum est, quod a scriptorum Graecorum autoritate petunt. Hi enim, dum summas assium Romanorum, etiam in historia rerum ante bellum Punicum gestarum memoratas, ad suam monetam reuocant, X asses pro

F

drachma

drachma et denario sumunt. Ita Marcum Furium  
 Camillum circa annum V. C. 364. *XVM. gravis aeris*  
*dammatum* fuisse, Livijs L. V. c. 32. prodit. Hanc poe-  
 nam Plutarchus in Camillo p. 135. uocat *Τίμημα* *μυρίων*  
*ἢ πεντακισχίλων ἀσσηρίων, mulierum XVM. assium*; asses dein-  
 de ad nummos argenteos Graecos et Romanos ita re-  
 uocat: *ὁ γίνεσθαι πρὸς ἀργυροῦς λόγος χίλιας δραχμὰς ἢ πέντε-  
 κόσιας, quae summa ad argenti supputationem relata, sunt*  
*ML. drachmae*, et computi sui talem reddit rationem:  
*ἀσσηρίων γὰρ ἦν τὸ ἀργυρίων, ἢ τὸ δεκάχαλκον ἕξο ἐκακίση* δη-  
 νάριον. *as n. tunc erat pecunia, et ita decem asses denarius*  
*uocabantur.* Quid? quod ipsum primum Romanorum  
 censum exponens Dionysius Halicarnassens, asses ita  
 computat, ut X ad drachinam, quae cum denario  
 permutabatur, et M ad minam, C drachmis con-  
 stantem referat. Cum enim dixisset, *μέγιστον Τίμημα*  
*ἦν τῆς πόλεως ἐν ἑλλάδι ἐκατὸν μινῶν, census maximus non mi-  
 nor erat 100 minis*: ad alteram classē pergens, eius fa-  
 cultates ita definit: *ἢς ἦν ἐπίσης μὲν μυρίων δραχμῶν ἢ μείον*  
*δὲ πέντε ἢ ἑξοκμήμοντα μινῶν τὸ Τίμημα, cuius census erat in-*  
*tra XM. drachmarum,* (h. e. ut antea eand. summam ex-  
 presserat, *C. minas*, siue, ut Livijs ait, *CM. aeris*) *us-*  
*que ad minas LXXV.* Eandem computandi rationem  
 in reliquis classibus seruat. Quorum igitur assium de-  
 cem denarium, drachmae aequalem, conficiunt, eos  
 non librales, sed semiunciales fuisse, concludunt. At  
 enim Graeci in hoc argumento non sunt testes omni  
 exceptione maiores. Nam ut drachmas suas, quarum  
 C. minam, XCVI. libram Romanam constituebant,  
 non satis accurate cum denarijs Romanorum, quorum  
 non nisi LXXXIV. e libra signari, iustum erat, per-  
 mutant: ita mirum non est, si etiam in assium cum  
 drach-

drachmis et denariis comparatione non exactissime rationes ineant. Scilicet, ut paucis dicam, quod res est, ualor nummorum externus ab interno diligenter distinguendus est. Illum nummus a sola principis aut reipublicae constitutione accipit, per quam minori et maiori metallorum ponderi, imo rebus per se uilissimis aequae ac rarissimis, idem pretium assignari potest: sicut in ipso Romanorum aere factum est, cuius semiuncia lege Papiria idem, ac olim libra, ualere iuebatur, et postea, quam argentei nummi cudi coeperunt, denarium primo X, mox XVI assibus permutari, placebat. Hunc uero (internum ualorem) materia nummi, imprimis aenei, per se ipsam habet. Nam etiamsi nulli unquam nummi ex aere cusi fuissent, tamen uitae humanae utilitatem aliquam praestitisset; et ex hac sola utilitate olim aestimabatur. Atque istum ualorem internum in diuerso aeris pondere, puta in libra maiorem, in semiuncia minorem esse, et manere, si uel maxime nummus semiuncialis librali, aestimatione ciuili, aequiparetur, nemo facile negauerit. Scriptores igitur Rerum Romanarum, qui X, uel, pro diuersitate temporum, XVI, asses in denarium computant, aequae ac illi, qui drachmam cum denario, quasi exacte aequalem commutant, non nisi externi ualoris aequalitatem spectant, interni uero diuersitatem propterea non negant. Idem in ipsa rerum domesticarum historia usu uenire, uidemus. Nam qui hodiernum historiam belli tricennalis, et pacis Westphalicae recensent, per huius pacta Suecis quinquagies centena millia, siue, ut uulgo loquimur, 5. milliones thalorum soluta fuisse, scribunt. Hanc summam Fran-

cicus aliquis scriptor forte per 15000000 libras Turo-  
nenses expresserit; num quis uero propterea diuer-  
sitate ualoris interni, quae inter nostros et illius tem-  
poris thaleros intercedit, negauerit? aut non nisi  
quinque milliones thalerorum modo Lipsiensi cusorum  
Suecis solutas fuisse, dicet? Atqui diuersitatem illam  
quotidianus usus in Germania, et praecipue in Sa-  
xonia, euincit. Nam qui ante 50 annos 10000 tha-  
lerorum mutuo accepit, etsi hodieque non plura quam  
10000 thalerorum accepisse dicatur, tamen non nisi  
additis 50000 florenorum, fortem creditori suo resti-  
tuere potest. Ita non dubito, si quis infimae classis  
ciuis Romanus XIM. aeris, quae Seruio Tullio rege  
possidebat, ad seruum aliquem nepotem suum, Q. Fa-  
bii Dictatoris, aut Papirii aequalem, integra transmi-  
sisset, ex illis multo plura, quam CM. aeris, qui-  
bus classis I censebatur, cudi potuisse. Taceo, quod prae-  
ter ceteros Sauotus dissert. de num. antiqu. P. III. c. 7.  
p. 1217. edit. Graeu. non improbabilibus rationibus o-  
perose defendat, et iam olim Budaeus L. V. de aere p.  
246. obseruauerit, denarios ipsos, qui olim denos asses  
librales, h. e. CXX. uncias ualebant, recentioribus  
multo ponderosiores, et cum aeris pondere sensim  
diminutos fuisse.

## XXVI.

*Posterior aestimatio praefertur et probatur.* Quare non possumus, quin hic a communi fere  
omnium Liuii interpretum, si solum forte Douiatium  
excipias, sententia abeamus, et non semiuncialibus  
sed libralibus assibus primum Romanorum censum  
aestimandum esse, affirmemus. Nam I. hoc ipsa tem-  
poris ratio suadet, quo nulli alii nisi librales asses si-  
gnati erant, semiunciales uero prorsus adhuc ignora-  
bantur

bantur. Neque uero ullo indicio constat, ueteres as-  
 sium numeros, quibus Seruius Tullius singulas clas-  
 ses distinxit, a Liuiio, Plinio, Gellio, aut alio quodam  
 scriptore Romano ad suae aetatis monetam reuocatos,  
 aut immutatos esse. II. Non uerosimile est, Romam,  
 quae iam ante Seruium Tullium tot urbium ruinis cre-  
 uerat, integras aliquot ciuitates opulentissimas absor-  
 pserat, adeo pauperes ciues habuisse, ut ditissimi non  
 nisi 1603. florenis nostris aestimari potuerint. III. Idem  
 comprobare uidentur pretia rerum ante bellum Pu-  
 nicum assibus Romanis aestimata. Nam bos e. g. C. as-  
 sibus, ouis X. obolis ueniebat, ut praeter Festum o-  
 stendit Plutarchus in Poplicola p. 103. Grauis mulcta et  
 capitali proxima erant duo assium millia, ut est ap.  
 Dionys. Halicarnass. L. IX. p. 586. et *XM. grauis aeris  
 rum* (circa annum V. C. 336.) *dimitiae habebantur*, au-  
 tore Liuiio L. IV. c. 45.

## XXXVII.

Vt autem rationem computi nostri clarius ob oculos  
 ponamus, et simul alias quoque assium libralium aequae  
 ac semiuncialium summas, non ex nostra tantum sen-  
 tentia, qua denarium 2 granis pluris, quam 1 drachmam  
 argenti puri, aestimauimus, sed etiam ex aliorum hy-  
 pothesibus, cum moneta nostra comparandi modum  
 commonstremus: fundamentum illius in tabula re-  
 praesentabimus.

F 3 *Ratio*

*Ratio computandi asses semiunciales, quorum  
XVI. denarium consiciunt.*

	Denarii	Florini, grossi, nummuli	Misnici
As	$\frac{1}{12}$	----	3
Dupondius	$\frac{1}{6}$	----	6
Sestertius	$\frac{1}{4}$	----	$7\frac{1}{2}$
Quini aeris	$\frac{5}{12}$	---	1 3
Deni aeris	$\frac{5}{6}$	----	2 6
Sedecim asses	1 Denarius	----	4
Centeni aeris	$6\frac{1}{4}$	1	9
Mille aeris	$62\frac{1}{2}$	15	10
Dena millia aeris	625	156	4
Centena - millia aeris	6250	1562	8

In qua tabula obs. I. Fundamentum totius computi esse, quod XVI. asses, denario aequivalentes, minimum aestimentur 4 grossis Misni. qui hodie cum 15 cruciatis permutantur. Minus enim pretium denario, sine manifesto errore, statui non potest.

II. Quot granis quisque denarium plus quam 1 drachmam argenti puri siue 4 g/2 ualere, putat, totidem grana sedenis quibusque assibus, siue numero denariorum qualibet summa maiori comprehensorum, addat,



addat, necesse est. Illa autem grana facile monetae nostrae nominibus exprimi possunt, si obserues, illorum 76 aequare 1 drachmam siue 4 *gl.* atque adeo 19 grosso Misp. aestimari. Quod si ergo, ex hypothesi Sauoti et nostra, denario 2 grana addas, summa e. g. centum aeris siue 6  $\frac{1}{2}$  denariorum, quam strictissima computatione 1 *fl.* 9 *gl.* aestimauimus, augenda est 125 granis, quae proxime aequant 1  $\frac{1}{2}$  drachm. argenti puri, siue 6 *gl.* 7 *pf.* atque adeo tota summa erit 1 *fl.* 15 *gr.* 7 *pf.* aut, si minutias negligas, 2 *fl.*

III. Assium semiuncialium pretia facillime ad libralium, h. e. ad aeris gratis pretia reuocabis, si priora quater et uigiesies sumpseris. Vnde e. g. centum aeris gratis erunt prope 48 *fl.*

## Conspectus Dissertationis.

- I. Nomen Censur.
- II. Autor censur Rom. Seruius Tullius, Graecos imitatus.
- III. Mensura censur primi aes.
- IV. Quod antiquitus rude et appensum fuit.
- V. Postea signatum et numeratum, autore inter Graecos Phidone.
- VI. Inter Romanos Seruius Tullio.
- VII. Figurae antiquissimis Romanorum nummis 'aereis impressae.
- VIII. Primi censur Rom. magnitudo.
- IX. Aestimata ex pondere librae Romanae.
- X. Hanc libram nonnulli eruere student ex granis frugum.
- XI. Alii ex ipsis antiquis Romanorum ponderibus et mensuris.
- XII. In primis ex congio Vespasiani, continente X libras Romanas.

XIII.

- XIII.** *Quarum una respondet ex computo Paeti, 22 lot.  $\frac{1}{2}$  gr.  
ex computo Villalpandi 23 lot. 1 gr.  
ex computo Gassendi 23 lot.  $1\frac{1}{4}$  gr.*
- XIV.** *Alii ex denariis Romanorum.*
- XV.** *Quorum nonnulli ponderantur, et pondus librae Rom.  
ex iis designatur.*
- XVI.** *Hinc pondus aeris singularum classium definitur.*
- XVII.** *Magnitudo census primi Rom. aestimata ex pretio, de  
quo diuersae autorum sententiae recensentur.*
- XVIII.** *Causae huius dissensionis, ex diuerso pondere librae Ro-  
manae tributo, et ualore aeris mutato deductae.*
- XIX.** *Aes graue quid fuerit?*
- XX.** *Eius imminuti indicia in nummis aeneis.*
- XXI.** *Noua L. Kusteri de aere graui opinio a I. Perizonio con-  
futata.*
- XXII.** *Observationes V de pretio nummorum Rom. recte di-  
iudicando.*
- XXIII.** *Pretium census primi, si assibus semiuncialibus aesti-  
metur.*
- XXIV.** *Pretium census primi, si aere graui aestimetur.*
- XXV.** *Prior aestimatio reiicitur.*
- XXVI.** *Posterior aestimatio praesertur, et probatur.*
- XXVII.** *Ratio computandi asses in tabula repraesentatur.*

**FINIS.**

Wittenberg, Diss., 1715


ULB Halle

005 390 001

3







B.I.G.

Farbkarte #13



2. s. 1715 10 7/2.  
 15

...NIFICENTISSIMO  
 ...RINCIPE REGIO,  
 ...INO  
 ...AVGVSTO,  
 ...E  
 ...MANORVM  
 ...MO  
 ...S QVADAM  
 ...VERSIAS,  
 ...SIDE  
 ...L. IANO,  
 ...P. P.  
 ...G.  
 ...ENDAS PROPONIT  
 ...OR  
 ...IOFFMANN,  
 ...AVIENSIS  
 ...PRIOR  
 ...R. S. CIOIOCCXV.  
 ...SAMVELIS KREVSIGIL

983. Vro ecc  
 10. Gottl. K  
 v. v. v.

